



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Ethicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Sæpe edunt: Semel si sunt captæ, rem solvunt  
Aucupi. Plautus in *Asin.*

Quod si cantus accesserit, notum est illud Martialis:  
Non tantum calamo, sed cantu fallitur ales,  
Pallida dum tacita creſcit arundo manu.

Ejusmodi aucupes sunt juvenuli citharædi, plateas obeuntes, & castitatem fidibus expugnantes. Ejusmodi aucupatrices sunt juvenulae, unguento delibute, *quasi columba ad fenestras* *Ila.* 60. Scilicet prospicientes, & prætereuntes in odorem, imò fetorem impuræ cupiditatis allicientes; donec, quod Proserpina experta est:

Eripitur cum sole pudor, cœloque relicto  
Infelix stygio raptatur præda tyranno.

## SYMBOLUM XXVIII.

Iambos puer in stellionem mutatur.

*s. Metam.*

Ethicè.

1. Procacitas & petulantia puerilis. 2. Pueri indulgentius non habendi. 3. Stellionis natura cum nequam puero comparatur.

**C**eres amissam Proserpinam filiam per omnes terras atque maria indefesso quærens studio, tandem tot itineribus, & labore fessa, delata est ad humilem casam, pulsatisque foribus, prodeuntem anum poposcit frigidam, restinguendæ siti per tanta viarum spatia collectæ. Hospitalitatis non immemor anicula, lympham roganti promptiore magis animo, quàm manu exhibet; (longius enim distabat puteus, anili gressu tardius adeundus) loco frigidæ suppetebat dulcis quidam liquor, è melle & polenta seu farina hordeacea, temperatus. Sapiuit is haustus sitibundæ Divæ, cœque paulò liberalius ora proluit. Conspicatus hoc *Iambos*, petulantis & impudentis linguæ puer, non satis habuit cachinnis excipere bibentem, insuper convitia addidit, & peregrinæ Dææ intemperantiam exprobravit. Non tenuit iracundiam Ceres, quod reliquum erat in poculo, in faciem irrisoris effudit. Et ecce, quot guttis, tot maculis os improbum scurræ conspersum est, subitoque in stellionem bestiolam, è lacertarum genere venenatam transijt.

S 3

Ethica.



## Ethica.

I. (a) Aspice sis hunc puerum protervum, procacem, petulantem, contumeliosum, sannionem. Hoc solet malè educata pueritia, ciconiam à tergo pinsere, hoc est, crebriore digiti indicis, aut colli motitatione, ciconiæ rostrum, ludibrii causâ, imitari: opposito temporibus pollice, asininas auriculas effingere: medium digitum ostendere: vel, (quod hodie fannæ genus est, & *ficus* vocatur) pollicem inter medium digitum & indicem porrigere: vel linguam, sitientis instar canis exertare: vel disterijs scurrilibus & convitijs laceffere. Historia S. de Betheliensium pueris memorat, eos irrisi senis Elisæi pœnas uris duobus è silva prorumpentibus, & quadraginta duos discerpentibus dedisse. 4. Reg. 1. Quam cædem more suo facundè exponit Stengelius de divin. judicijs tom. 2. c. 15. Ejus verba tametsi pluscula juvat hîc apponere. Habent, inquit, parentes, quid mereantur apud divinum tribunal, si liberis suis indulgent, si dissimulant sarcasmos; si etiam ad disteria jacienda instruunt: ut senes calvastros, rugosas anus, servos & ancillas convitijs aspergant: ut illos cæcos, surdos, mucosos; has veneficas, vetulas, Cerberi sponfas aut silicernia; illos mastigias, verberones, nebulones: has meretrices, prostibula, orei pabula appellent. Elisæum vatem *calvum* appellavere Bethelienses, & pueri erant: & in campis nugabantur: & tempore exiguo, ac vix scomma hoc bis effuderunt in transeuntem. Et ecce, Deo iudice, quadraginta parentibus suis charissimi filij, delicia matrum, spes posteritatis; quòdque est miserabilius, *pueri parvi*, ab uris non occiduntur modò, sed etiam *lacerantur*, ut nullius cadaver posset dignosci, nullius corpus in patrium sepulchrum inferri, sed necesse fuerit, confusa inter se membra, in unum cumulum, velut *Absyrtum*, colligere, plangeréque etiam hoc, quod ibi, ubi sciebat esse, nemo suam prolem posset invenire. O quale spectaculum fuit tunc parentibus & cognatis, exire in campum, recente, & adhuc fumante filiorum, neporúmque sanguine cruentatum! calcare gramina hinc tabo purpurata, inde exanguibus & à cervice sua revulsis vultibus pallentia! Vidisses hîc matrem brachium, ibi patrem ossa humero malè hærentia tollentem, & explorantem, an notæ sibi tunicæ aptari possent. Alij velut lymphati per totam stragem sursum ac deorsum currebant, ut volante oculo deprehenderent gnatum adhuc palpitantem; alij per singulos, ordine quærebant, ut, quod quærebant, non præterirent; ita quid  
singuli

(a) Procacitas & petulantia puerorum castiganda.



singuli passi sint, viderunt in universis. O quis tum, quantūque luctus fuit, qui gemitus, quæ suspiria in cœlum missa; quàm ingens vis lacrimarum in terram cadentium, aut lacerata parvulorum membra lavantium! Quàm seria fuit accusatio in urforum feritatem vibrata! quanta execratio belluarum! Sera est hæc vestra querimonia, parentes; erratis accusando. Vos ipsos, non urfos accusate. Si voluistis liberos vestros ad Senectutem pervenire, docendi fuissent, senes non contemneret: non ridere prophetam: Sanctis non illudere, sed reverentiam exhibere. Cur ab urfis exigitis humanitatem, qui *parvos pueros* docuistis feritatem! Nunc quia vestrâ vel negligentia, vel indulgentia, vel fœcordia in Elisæum linguas stringere didicerunt; Dei sententia & mandato belluæ in illos dentes strinxere; ut mordacitas eorum ursinis moribus plecteretur, & justissimo Numinis iudicio *lacerati*, docerent, Sanctos viros contumelijs non lacerandos. Hæc ille patheticè. Nimirum malæ educationis tam pœna, quàm culpa in moderatores redundat. Diogenes hoc indicavit, qui puerum conspiciens indecorè se gerentem, pædagogum illius baculo percussit, dicens: *cur sic insituis?* indicans, primæ ætatis formatoribus potissimùm imputandum esse, si adolescentes evadant malè morati. Laërt. lib. Idem conspiciatus adolescentem improbum lapides in cœlum jactantem: *Euge*, inquit, *scopum attinges*; nempe Superos senties, tum in exitium tela retorturos. Ita Ceres maledicæ linguæ jacula in derisorem petulantem rejecit, & os protervum, quod ausum fuit Deam vocare *bibulam* (quò nihil probrosius feminis, nedum Divis) subrufis perfudit maculis, & lentiginosum reddidit; mox etiam in lacertam humi repentem convertit. Hoc præmium est linguæ conviciantis. Mitio rem quidem, non parùm tamen sexui & ætati suæ gravem procacitatis pœnam tulerunt illæ puellæ, qui Jacobo Nisibensi Episcopo, senio & sanctitate venerando, non veritæ sunt in verecundis dictis illudere. Lavabant ad fontem non Dianæ, sed Veneris; & facilè ne *Alteon* fieret, Jacobus oculis imperasset, sed aures invitas procax sermo, & leno risus pulfabat, succensuit improbitati Præsul, suas fonti ademit aquas, puellis subito intempestivos canos addidit. Ilicet ad horum aspectum erubescere leviculæ, & lacrimis velle fontem & frontem priorem comparare. Arque illum quidem civibus restituit Pontifex: at canos (quò cum his saltem saperent) perpetuos esse jussit. Sur. 15. Jul. Rectè monet Seneca: Sales tui sint sine dente, joci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies sine desidia.



dia. Id quod maximè observandum pueris, nisi velint Jambo puero similes fieri.

II. (b) Puer *Iambos* simul contumeliosus, simul blasphemus in Deam fuit. Quod crimen non semel in pueritia graviter punivit Deus. Constat è Dialogis S. Gregorij lib. 4. horrendo supplicio parvulum quinquennem affectum, quem ob dissolutionem linguæ, qua Dei nomen impijs execrationibus laceſſebat, tartarei spiritus, æthiopum specie aspectabiles, è gremio parentis avulsum, in orcum abripuerunt. Nec frustra terribili Alastores è sinu atque oculis paternis rapuerunt puerum. Ostenditur namque impietatem filij, ortum duxisse è nimia patris indulgentia; à quo blandiùs æquò fovetur inque sinu & oculis gestatus, æternis pabulum ignibus jam tum paratum, molliter ad inferos ferebatur. Debit os improbum maturè compeſci, & lupato disciplinæ frenari, ne lupis orcinis in prædam cederet; nimirum parentum culpa in filiorum supplicio plectitur. Exerit se primis ab annis indolis sive probitas, sive pravitas. Severiùs fortasse, salubriter tamen ad exemplum egerunt Areopagitæ Athenis Judices, qui puerum morte damnarunt, quòd crudeliùs cornicis oculos, stylo confixisset. Timebant scilicet, ne ferox ingenium cum annis cresceret, & savitiam ab avibus in homines transferret: igitur malam herbam in radice opprimendam putarunt. Minores lapillos, hoc est, convitia cum puer in homines assueſcit jacere, paulatim grandiores mittet in Superos, quod ex Diogene paulò ante collegimus. Puer *Iambos* quanquam *effrons*, in fronte tamen indicem sui circumtulit; maculis eam pinxit Ceres, ut appareret in vultu, quid lateret in animo.

III. (c) In *stellionem* mutatus est *Iambos*, est enim hæc bestiola, symbolum pueri malitiosi, versuti, versipellis, mendacis, perversi, & ex asse nequam. Nam ob nequissimi hujus animalculi fraudem, malitiam, invidiamque obtinuit usus, ut impostores & consuti dolis homines, *Stelliones* vocentur. Hinc *Stellatura* & *Stellionatus*, crimen IGris, cum in contractibus, aut mutuo, aut emptionibus, dolus malus intervenit: ut si quis merces supposuerit alias pro alijs, vel corruerit, aut imposturam fecerit, (quod crimen *falsi*, Germanis *Schelmerey* dicitur) cuique poena nulla ordinaria constituta, sed Prætoris arbitraria est, teste Ulpiano.

Est autem *Stellio* lacertæ species, qui quia ventre humum verrit, denotat

(b) Pueri indulgentiùs non habendi. (c) *Stellionis* natura cum nequam puero comparatur.



notat pueros inertes, pigros, desides, ventri deditos, in pastum & terram projectos. 2. Stellio lucentibus guttis, seu stellis est, pictus, unde nomen habet; quò indicatur puerorum hypocrisis, dum speciem quandam innocentiae præ se ferunt, & indolem stellis coronandam; cum astutia & nequitia in corde lateat, in orbem ableganda. 3. Stellio suo morsu hominem obstupescit & venenat. Pueri malè moratì, etiam bonos adolescentes pravis exemplis inficiunt, & quasi stupidos ad parentum & moderatorum monita reddunt. 4. Stellio perreptat ædes, & in ipsis tectis, lectisque, homini insidiatur, verè hostis domesticus. Faciunt idem malitiosi adolescentes, qui per speciem vel exercitij litterarij, vel relaxandi animi, sese in alienas ædes insinuant, & in angulis lusum ludunt, qualem olim *Ismael* cum *Isaaco* ludebat, nempe, quod aliqui SS. PP. exponunt, rei alicujus turpis sermonem inducendo; quod advertens *Sara* parens, postulavit à marito *Abrahamo*, ut *eijciat ancillam Agarem cum filio suo*. Gen. 21. Quòd etiam his puerorum frustis, & nebulunculis faciendum. 5. Stellio pellem hieme exiit, quam, quia homini, utpote morbi comitialis remedium, invidet, devoratur ab eo, nisi præripiatur. Significatur invidia, quæ non rarò pueriles etiam animos ita occupat, ut æqualium in litteris, aut virtute profectum, non ferentes, mendacijs ac calumnijs eos odiosos reddere conentur. 6. Stellio araneis maxime vivit, ad quarum telas adreptit, & insidiosè captat, capitque. Simile quid in perversis pueris reperitur. Araneus muscas venatur, araneos stellio. Sic pueri perditì & nullius frugis, nullique labori serio addicti, quid aliud agunt, quam tempus terere muscis capiendis, quod *Domitianus* ille Romanus Imp. fecisse scribitur. Sed hæc araneorum retia, hæc inquam ignava otia, sunt scopis & virgis deijcienda. Stelliones magnam partem veneni ex araneis sugunt; faciunt hoc improbi pueri, qui malitiam insitam augent è libris & colloquijs impuris, & pestilens virus halitu, quod Stellio facit, innocentibus affricant & aspirant. Atque hæc satis de stellione. Plura de natura hujus bestiolæ *Plinius* lib. 30. c. 10.



T

SYM.